



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 40. Lutheri vindiciæ hac super re.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

**Sæc XVI.** lunt, ab utraque excluderentur. Ho-  
**A.C. 1523.** ras Canonicas etiam in die feriali reci-  
 tari solitas approbat, Missas vero priva-  
 tas aboleri, atque in diebus Dominicis  
 populum bis in Ecclesia, mane ad Mis-  
 sam, & absoluto prandio ad Vesperas con-  
 gregari præcipit, atque matutino tem-  
 pore in Dominicis Evangelium, vesper-  
 tino autem epistolam populo explicari,  
 tandemque omnia Sanctorum festa aut  
 abrogari, aut in diem Dominicam trans-  
 ferri jubebat.

## §. XL.

*Lutheri vindiciæ hac super re.***Slidan. l. 4.****p. 103.****Bossuet. t. I.****p. 308.**

In hujus libelli præfatione ita differit:  
*Editis libris & pro concione sæpe sum  
 cohortatus homines ad abrogationem Missæ  
 Pontificiæ, propterea vocor seditionis, sed  
 injuria militi fit; nec enim unquam docui po-  
 pulum, ut impios cultus auditorate sua pu-  
 blice aboleret, sed ne Magistratui quidem hoc  
 concessi, nisi forte Ecclesiarum Præfetti per-  
 tinaciter defendant errores. His subjun-  
 xit, quoniam vero horrenda est ista Cœna  
 Domini profanatio sicut doctiores nunc a-  
 gnosciunt, ideo scriptiōnem hanc & labo-  
 rem suscepi, ut populus etiam intelligat, &  
 ut usitata illa sacrificia Missarum, non fecerit  
 atque Sathanam ipsum defugiant Postea  
 declamat præprimis contra Canonem,*

coll.

contenditque, quod sit resertus contumelias in Deum. Ita nempe novus hic Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.  
Pseudo-Apostolus pro summo imperio decidit circa ritum, qui tamen in Ecclesia perpetuo observabatur: Præcipue vero a Missæ sacrificio eliminabat ea, quæ oblationem respiciunt; hanc enim, ut Christiano populo abominandam redderet, nequiter mentitus est, quod Ecclesia huic oblationi peccata remittendi vim meritumque ita adscribat, ut nec fides, nec ulla pia motio ad id necessaria sit, quod idem tertia etiam vice repetitur in Confessione Augustana, ut illius Auctores suis Sectatoribus persuadeant, quod Catholici duntaxat pro extingueda pietate Missam adoptent.

## §. XLI.

*Alia Lutheri opera hoc anno  
edita.*

Præterea currente hoc anno Lutherus alios adhuc libros edidit, atque inter ceteros præcipue tractatum contra vota Monastica, cui titulum præfixit: *Exempla doctrinæ, & Theologie Papistice.* In hoc libello irascitur Sanctis Doctoribus, quod hi unanimi suffragio continentiam encomiis celebrarent, atque ob idipsum ei S. Hieronymus omnino contempnendus videtur, tandem ipse

S 3      deci-